



**R.P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, É Societate Iesv, Jn
Collegio Romano Eivsdem Societatis Olim Theologiae
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis, Dispvtaiones
Scholasticae, & Morales, De virtute, & ...**

Lugo, Juan de

Lvgdvni, 1666

§. Verior explicandi modus proponitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82358](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82358)

sitione, quod vult non possit nolle, facit, quod nolito sit tunc simpliciter, & absolute impossibile, sed solum secundum quid, seu ex suppositione: immutabilitas ergo Dei non facit, quod odium reddatur simpliciter impossibile per nolitionem odij, sed solum impossibile secundum quid, seu ex suppositione quæ suppositio sèper est formaliter & simpliciter libera.

145.
Voluntas obligandi præcepto, non est voluntas rei quæ præcipitur.

A priori denique probatur, quia sicut voluntas obligandi præcepto non est voluntas rei, quæ præcipitur, ut constat quando Deus imposuit præceptum Abrahamæ immolandi filium, quam tamè immolationem Deus non volebat: sic etiam voluntas obligandi ad pœnam non est voluntas exequendi pœnæ, sed poterit princeps lege sua præcipere aliquid sub pœna, licet habeat animum nunquam exequendi illam pœnam. Similiter ergo poterit conservare illam obligationem ad pœnam in eo, qui legem, violavit, licet habeat animum non exequendi pœnæ: sed tamen vult quoddammodo remaneat cum illo timore, & suspensione: quia sicut à principio potuit velle obligationem ad pœnam cum animo non exequendi pœnam, non est cur non possit conservare postea obligationem, & debitum pœnæ absque animo exequendi illam. Cur ergo non poterit Deus hoc ipsum facere, atque etiam velle non remittere debitum odij, & indignationis suæ absque animo exequendi illud ius, cum si eadem ratio in utroque casu?

146.

Ex his ergo ad rationem, quæ supra num. 138. illa responsio fundabatur, respondere iam possumus, non sufficere ad cessionem iuris vel condonationem, quod aliquis reddat sibi illicitam, vel etiam impossibilem executionem illius iuris, ut constat ex adductis exemplis, nam qui voto se obligat ad non petendum nec acceptandum id, quod sibi debetur, potest adhuc retinere suum ius, & conservare obligationem debitoris, atque adeo non peccare contra iusticiam, sed solum contra votum petendo, vel accipiendo debitum. Item Christus, qui eiusmodi votum redderet sibi non solum illicitam, sed impossibilem illam operationem contra votum, adhuc non cederet iuri suo, neque esset obligatus ex iusticia, sed solum ex voto ad non exigendum quod sibi debebatur. Cetero ergo iuris est velle reddere sibi illicitam illam executionem ex defectu fundamenti, seu tituli, Verbi gratia, condonare pœnam est velle reddere sibi illicitam punitionem, sicut si non præcessisset culpa, condonare mutuum est velle reddere sibi illicitam receptionem pecunie, sicut si non præcessisset mutuum, & sic de aliis. Deus itaque nolendo punire, licet hoc ipso reddat sibi impossibilem punitionem, non tamen vult reddere sibi illicitam ex defectu tituli, sicut si non præcessisset culpa, & ideo non dicitur condonare, nec cedere iuri suo.

147.

Vnde ad id quod addebatur non posse hominem manere dignum odio, quando odium est impossibile. Respondetur, in primis sufficere, quod odium sit simpliciter & absolute possibile, licet ex suppositione extrinseca, quod Deus nolit habere odium, dicatur aliquo modo impossibile. Sicut etiam homo iustus dignus esset præmio suorum operum, licet Deus noller illam præmiare, quia licet ex illa suppositione præmium non esset possibile, esset tamen possibile simpliciter & absolute, quod sufficit ut absolute sit dignus præmio. Adde deinde licet odium esset simpliciter impossibile, posset homo intelligi dignus odio, quantum est ex se: sic enim opera Christi propter infinitum volorem, quem habent digna sunt præmio infinito, quantum est ex se, atque adeo merentur gratiam infinitam, si possibile esset, quod est ius quoddam ad obtinendum illud

præmium à Deo, si posset illud dare. Sic ergo posset peccator incurere debitum, ad sustinendum odium Dei possibile esset, ita ut Deus equitatis ius ad odium peccatoris si possibile esset odium: quod sufficit, ut peccator dicatur debitor odij, quantum est ex se, quod illud debitum non condonatur. Quamvis enim si Deus non esset, non esset peccator debitor odij Dei, quia nulli deberet illud, & non posset esse debitor nisi alicui creditori, qui habeat ius contra illum: de facto tamen, cum Deus sit creditor, & acquirat ius propter offensam sibi irrogatam, & tollit illud debitum, nisi ipse creditor, qui illud acquisivit, remittat: acquisivit autem Deus titulum, ut, si possit aliunde odium habere, odio habeat peccatorem, nec per hoc cessatur dure, aut irrationabiliter indignari: quod ius duraret, etiam si Deus noller de facto odium habere, si tamen illud ius non condonaret.

§ Verior explicandi modus proponitur.

A Liter ergo, & facilius respondere possumus, voluntatem illam esse voluntatem affectuum destruendi titulum ortum ex peccato ad prædeterminandum, peccatorem merito & rationabiliter haberi odio à Deo, seu esse affectum restituendi hominem in statum antiquæ libertatis, & indemnitate quod totum potest velle Deus, absque eo quod velit formaliter ipsammet volitionem.

Dices: non potest Deus velle, non esse illum titulum ad odium, nisi volendo, non esse fundamentum illius: hoc autem est peccatum præteritum & negatio condonationis; ergo vel Deus vult non esse peccatum præteritum, quod est impossibile, vel non esse carentiam condonationis quod est velle ipsam condonationem, seu ipsammet voluntatem. Respondetur, Deum non velle non fuisse peccatum, sed habere affectum quemdam, quo, quantum ex se est, velle, peccatum illud præteritum non sufficere nunc ad fundandum odium rationabile peccatoris: qui affectus non est absolutus, sed per modum velleitatis efficax: sicut ipse peccator habet affectum odij in peccatum præteritum; non quo velit absolvere non fuisse, sed per modum velleitatis efficax, quia velle, quantum ex se est, non fuisse ut supra explicavimus, ita Deus habet affectum non absolutum sed efficacem, quo quantum ex se est, velle non sufficere nunc peccatum præteritum ad reddendum hominem odibilem: dico autem illum affectum non esse absolutum: quia licet reuera sit possibile, quod peccatum præteritum non reddat hominem odibilem minimè, si condonetur, sed tamè, si hoc velle, Deus absolute, velle ipsam condonationem, qua illud possibile est: ne ergo condonatio velit se ipsam, satis erit quod Deus per illum actum habeat affectum efficacem quantum est de se, sed non absolutum, respectu illius obiecti: hæc autem voluntas est re ipsa condonatio efficax peccati, quia posita hac voluntate, prudenter censetur, Deum non posse rationabiliter odio habere peccatorem propter illud peccatum.

Dices, ergo Deus non condonat absolute, & efficaciter peccatum: quia condonatio Dei est illa voluntas Dei, sed illa voluntas non est absoluta, ergo nec condonatio Dei est absoluta. Respondetur, voluntatem illam non esse volitionem absolutam sui obiecti esse tamen condonationem efficacem, & absolutam peccati: quia sicut odium peccatoris erga peccatum præteritum, non est voluntas absoluta sui obiecti; non enim vult absolute non peccasse, est tamen retractatio absoluta, & efficax, & cum effectu destruit peccatum: quia ad retractandum efficaciter peccatum non aliud requiritur, quam velle re-

illa effici velle quantum est de se, non fuisse peccatum, ita voluntas, qua Deus efficaciter, quantum est de se vellet amplius non nasci eum titulum ex peccato ad odium peccatoris, licet non velit absolute sum obiectum; absolute tamen destruit peccatum: quare potest dici absoluta in ratione cause, licet non sit absoluta in ratione volitionis: sicut & contra voluntas conditionata, quam haberet aliquis ex odio Dei destruendi Deum si posset, est voluntas conditionata in ratione volitionis, sed absoluta, & efficax in ratione offensæ diuinæ; non enim repugnat, id quod est conditionatum, & inefficax in vna consideratione, esse absolutum, & efficax in alia: quod præsertim locum habet in consideratione morali, quia prudentes facile iudicant, illum affectum conditionatum æquivalere absoluto in ordine ad effectus morales.

150. Dices iterum: Deus non potest velle aliquid impossibile: quod autem ex peccato præterito non oriatur titulus ad odium peccatoris, non est possibile nisi impediatur per condonationem, ergo non potest Deus velle, quod non oriatur ille titulus, nisi eo modo, quo possibile est, scilicet volendo poni condonationem. Respondeo, Deum non posse velle absolute aliquid impossibile, posse tamen velle illud sub conditione possibilitatis, nam sub hac conditione iam habet bonitatem appetibilem: quare sicut homo potest eo modo velle aliquid impossibile, & quidem meritorie, prudenter, & laudabiliter, ita Deus poterit sub ea conditione velle aliquid per voluntatem, non absolutam sed tamen efficacem; quantum est de se, ut bene concedit P. Salas 1. tom. in 1.2. tract. 6. ante quæstionem. 7. & de Angelis in quibus videtur esse eadem ratio concedit ut certum P. Suarez lib. 7. de Angelis cap. 12. num. 20.

151. Vergebis: ergo Deus vellet aliquid ens rationis: nam quicquid est impossibile est implicatorium; omne autem, quod implicat contradictionem, est aliquid chimericum, ergo est ens rationis: hoc autem Deus non videtur posse velle, neque etiam concipere, aut effingere.

Respondeo, Deum non effingere entia rationis, quia fingere videtur sonare indicium, vel apprehensionem de existentia, vel possibilitate illius, quod concipitur: Cæterum quod Deus cognoscat aliquid impossibile, & solum affirmando, esse bonum si esset possibile non videtur negandum, quia alioquin non posset Deus scire Angelum non posse esse Deum, nisi conciperet connexionem vtriusque extremi ad negandum illam, quæ tamen impossibilis est. Nec hoc est in rigore concipere rem aliter, ac est iudicium est propriissime concipere rem impossibilem, sicuti est concipere illam esse impossibilem, sed de hoc alias, quia pertinet ad materiam de scientia Dei. Pro nunc sufficiat supponisse, ut appareat, ex hoc capite non repugnare, Deum velle per voluntatem supradictam, quod peccatum præteritum, licet præteritum sit, non daret nunc ex se fundamentum Deo ad indignationem, quod licet sit impossibile; non enim potest peccatum præteritum non dare nunc fundamentum, quantum ex se est ad indignationem: illa tamen velleitas Dei explicat suum affectum & interpretatione æquale voluntati absolute, quia vellet impedire illud fundamentum, si esset possibile, & per consequens in æstimatione prudentium tolli Deo ius ad rationabilem indignationem ulterius concipiendam propter illud peccatum.

152. Dices; Deus prævidet esse possibile quoddam ex peccato præterito non oriatur amplius ille titulus ad rationabile odium peccatoris; scilicet condonando illud: ergo potest velle illud efficaciter & absolute.

Respondeo, posse quidem Deum habere voluntatem absolutam condonandi peccatum; quia potest per aliam voluntatem reflexam velle absolute habere illam aliam voluntatem; quam diximus esse condonationem: & tunc illa prior voluntas absoluta erit quidem voluntas efficax & absoluta condonandi non tamen erit ipsa formaliter condonatio: illa vero alia secunda voluntas erit condonatio formaliter, & hæc non poterit esse voluntas absoluta destruendi titulum odij: quia licet illa destructio tituli sit possibilis per hanc eandem voluntatem; hæc tamen voluntas non oritur ex prævisione sui, sed ex prævisione aliorum: cum ergo Deus non videat, aliunde esse possibilem destructionem tituli; non potest per hanc voluntatem velle absolute illam destructionem, sed solum inefficaciter, ut dictum est, quæ voluntas sufficit ut efficaciter destruat. Vide quæ in simili diximus disp. 3. de incarnatione sect. 5. n. 87. & sequentibus, ubi eodem modo explicui obiectum voluntatis obligandi, præcipiendi, &c.

153. Vergebis, etiam præscindendo ab illa voluntate inefficaci, prævidet Deus modum, quo possit efficaciter destruere titulum odij, ne amplius oriatur ex peccato præterito, scilicet per infusionem gratiæ habitualis; quæ cum sit forma sanctificans, eo ipso impedit formaliter, ne homo sit odibilis propter peccatum præteritum; ergo si Deus vult quantum est ex se, destruere illum titulum, potuit id velle absolute & efficaciter, quia id reuera possibile est, absque eo quod voluntas illa habeat se ipsam pro obiecto volito. Quod argumentum à fortiori procedit de vnione hypostatica, per quam certius est, formaliter iustificari naturam assumptam absque alio favore, aut voluntate condonandi peccatum, atque ideo si Deus vult, quantum est ex se, impedire titulum odij, potest id velle efficaciter & absolute, volendo dare illi naturæ vnionem hypostaticam.

154. Respondeo, nos in præsentem loqui de voluntate Dei condonantis peccatum absque infusione gratiæ vel vnione hypostatica, aut alia forma sanctificante. Aliud enim est, Deum velle sanctificare, & assumere illum hominem in amicum, & filium: aliud vero velle solum impedire odibilitatem ex peccato præterito: illud prius potest Deus præstare per gratiam, vel vnionem hypostaticam; hoc vero posterius per voluntatem illam inefficacem, quam explicuimus, quia præscindendo ab hac ipsa voluntate, non apparet possibile impedire, ne oriatur titulus ad odium peccato præterito.

155. Ex hoc tamen oritur alia difficultas contra prædicta: quia si voluntas illa supra explicata est condonatio peccati etiam absque infusione, eo quod Deus per illam voluntatem vellet, quantum est ex se, quod ex peccato præterito non oriatur titulus ad odium, & indignationem; ergo à fortiori voluntas, quæ Deus vult infundere gratiam homini, erit condonatio peccati; quia per hanc voluntatem non solum inefficaciter, sed absolute, & efficaciter, vult Deus impedire, ne ex peccato præterito oriatur amplius titulus ad odium peccatoris: hæc autem voluntas intelligitur in Deo pro aliquo priori ante infusionem gratiæ, cum sit causa gratiæ; ergo ante infusionem gratiæ intelligitur iam condonatio peccati, & per consequens remissio peccati non procedet ab ipsa gratia, ut à causa formali, cum ante aduentum gratiæ iam intelligatur peccatum condonatum per voluntatem infundenti gratiam.

156. Respondeo, hoc argumentum fieri posse etiam in voluntate illa reflexa, quæ Deus vellet formale condonationem, seu voluntatem ipsam condonantem: nam illa etiam voluntas reflexa esset voluntas absoluta impediendi ius ad odium ex peccato præterito, cum

cum adhuc finem velit illam aliam voluntatem, quæ sit condonatio formalis; cum ergo hæc voluntas reflexa, & imperas intelligatur prior virtualiter, quam voluntas imperata, quæ est formalis condonatio; consequens esset, ut ante formalem condonationem intelligatur iam peccatum ablatum per voluntatem condonationis, atque adeo non auferetur tunc peccatum per condonationem, sed per voluntatem condonationis.

Ad utrumque ergo eodem modo respondere debemus negando sequelam: neutra enim voluntas est condonatio formalis, scilicet, nec voluntas producendi gratiam, nec voluntas impetrans condonationem; sed utraque erit quasi causalis condonatio inferens condonationem formalem: condonare enim in rigore non est velle condonare; sicut nec velle vouere, est vouere, nec velle donare, est donare sed aliquid præstare: Sic etiam velle condonare non est condonare; nam sicut donare non est velle transferre ius in alium; sed est ipsa translatio, seu voluntas, quæ immediatè volumus, quod fundamentum ad hoc ius sit in illo homine; sic condonatio non est, quæ volumus cedere iuris, sed est ipsa cessio, in actu exercito, seu voluntas, quæ immediatè volumus, quod in Petro, verbi gratia, non sit debitum odij; quod quidem non est obiectum immediatum, ut constat, illius voluntatis reflexæ, quæ volumus elicere condonationem, sed est obiectum mediatum: sicut qui vult vouere, non vult immediatè, sed solum mediatè obligationem, quæ provenit ab ipso voto. Voluntas etiam producendi gratiam non est formaliter condonatio, quia obiectum immediatum ipsius non est negatio iuris ex peccato; sed positio gratiæ, à qua provenit ut effectus formalis secundarius, ablatio illius iuris: unde si per impossibile Deus volens producere gratiam impediretur ab eius productione, non ideo peccatum esse condonatum sed volumus condonari, sicut si aliquis volens donare impediretur à donando, non esset dominium translatum, sed volitum transferri.

Dices, velle formam in subiecto est velle effectum formalem, cum hic re ipsa nec distinguatur à forma in subiecto: ergo si Deus vult immediatè, quod gratia sit in subiecto, vult immediatè effectum formalem, scilicet, quod hoc subiectum non sit odibile propter peccatum præteritum: quod idem argumentum fieri potest de voluntate reflexa, quæ Deus vellet condonationem: quia cum non esse ius ad odium sit positum esse condonationem; eo ipso, quod Deus vult immediatè, quod ponatur condonatio, videtur velle immediatè, quod non sit ius ad odium atque adeo illa etiam voluntas reflexa, vel voluntas producendi gratiam habebit pro obiecto immediatè voluto negationem iuris ad odium. Respondeo, antecedens esse verum de effectu formali privatio, qui non distinguitur à subiecto, & forma unitatis; non verò de effectu formali secundario, qui ab illis distinguitur; prout in nostro casu distinguitur remissio peccati, seu destructio iuris à productione gratiæ: potuit enim esse hæc eadē productio gratiæ absque remissione peccati vel destructione iuris orti ex peccato videlicet, si non præcessisset peccatum: ergo non sunt idem, alioquin nunquam posset esse unum sine alio. Similiter voluntas, quæ Deus condonat peccatum, non habet pro effectu formali primario negationem iuris ex peccato præterito, sed pro effectu secundario: quia licet non possit esse illa voluntas absque tali effectu: potest tamen esse tota illa negatio absque illa voluntate; si, verbi gratia homo non peccasset, non nasceretur Deo ius ex peccato: ergo tota illa negatio, quam Deus vult immediatè, non est idem adæquatè cum

condonationem quam Deus vult mediatè per voluntatem reflexam; atque adeo non erit idem velle condonationem, ac velle negationem illius iuris ex peccato.

Sed contra hoc videtur adhuc urgere argumentum desumptum ex forma absolutionis sacramentalis, quia Sacerdos nomine Christi, dicit, *Ego te absolvo*: seu, *ego tibi remitto*, aut, *condono tibi peccata tua*: nam, si per positionem condonationis auferatur macula peccati habitualis; cum absolutio contineat condonationem, quæ Sacerdos nomine Dei condonat, & absolutio præcedat infusionem gratiæ, ut causa illius; consequens est, ut ante infusionem gratiæ iam intelligatur ablatum peccatum habituale per condonationem nomine Dei positam. Fatendum ergo est, maculam illam consistere in carentia gratiæ habitualis, & ideo non posse auferri, nisi per ipsam gratiam; per verba autem Sacerdotis auferri causaliter, quatenus causant gratiam, per quam auferatur formaliter.

Huic difficultati dupliciter satisfieri potest. Primo dicendo, verba Sacerdotis, pro ut præcedunt infusionem gratiæ, nondum involvere formaliter condonationem Dei, sed solum causaliter; formaliter verò continere condonationem ipsius Sacerdotis, cui condonationis promissa est condonatio Dei per illa verba: *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, &c. Duplex ergo ibi intercedit remissio: altera Sacerdotis; altera Dei, quæ priori remissioni legitime prolata infallibiliter coniungitur. In quo sensu videntur loqui Patres, qui dicunt, sententiam Sacerdotis præcedere, & postea sublevari sententiam, seu remissionem Dei: quod quidem verum non esset, nisi intelligeretur ibi duplex sententia, vel remissio; nam una & eadem non potest ipsam subsequi, vel præcedere.

Sic loquitur Cyprianus lib. 2. epistolarum, epist. 2. seu 54. ubi sic ait: *Ipsæ legem dedit, ut ligata in terris, etiam in Cælo ligata essent; solui autem possent illæ, quæ hic prius in Ecclesia soluerentur* Hilarius etiam Hil. can. 16. in Matthei sic loquitur de Petro: *O beatus Cæli ianitor, cuius arbitrio claus æterni aditus traduntur; cuius terrestre iudicium præiudicata auctoritas sit in Cælo; ut quæ in terris aut ligata sunt, aut soluta, statim eiusdem conditionem obtineant & in Cælo*. Vbi nomine præiudicata auctoritatis debet intelligi ea, quæ præcedit iudicium, & sententiam Dei. Quod clarius adhuc explicuit Bernardus sermone 1. de festo Apostolorum Petri & Pauli ante medium, ubi de Petro dicit: *Qui claus Regni tam singulariter accepit ut præcedat sententia Petri sententiam Cæli*. Denique Hugo de sancto viatore lib. 2. de Sacramentis pag. 14. cap. 8. Petro (inquit) Principi Apostolorum dicitur, *Tibi dabo claves Regni Cælorum; quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cælis; & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in Cælis*: non dixit, *quodcumque solueris, hoc est, ut illi dicunt solutum ostenderis, fuit solutum, sed erit solutum: quia sententiam Petri non præcedit, sed subsequitur sententia Cæli*. De quo videri etiam possunt Vualdenfis tom. 2. cap. 144. & Ruardus an. 3. pag. 95. ubi observat, id colligi ex ipsis verbis Christi qui non dixit; *erunt soluta in Cælis*; sed *erunt soluta & in Cælis*; ut significet per illud, & intercedere duplicem solutionem, & sententiam, quarum altera præcedit, altera subsequitur. Quo supposito, facile responderetur ad difficultatem propositam, pro eo prioris; pro quo verba sacerdotis præcedunt infusionem gratiæ, intelligi quidem sententiam, & absolutionem Sacerdotis cui promissa est consequenter absolutio, & remissio Dei; nondum tamen intelligi pro eo priori remissionem formalem Dei; &

& ideo non mirum, quod pro eo priori nondum intelligatur formaliter, sed solum causaliter remissio Dei, donec pro signo posteriori intelligatur infusio gratiæ per quam Deus formaliter condonat, & auferat peccata.

Secundo responderi potest etiam si admittatur, quod absolutio, & remissio Sacerdotis non sit solius Sacerdotis, sed etiam Dei, qui per suum ministrum remittit, ita ut Sacerdos nomine Dei remittens faciat vnum cum Deo simul remittente, adhuc non debere intelligi maculam peccati ablatam pro eo priori, pro quo verba præcedunt infusione gratiæ. Dupliciter enim potest Deus remittere peccatum; scilicet, vel per infusionem gratiæ, & sanctitatis intrinsecæ; vel per meram condonationem. Quando primo modo remittit, non est necesse quod habeat illam voluntatem, quam explicuimus, qua velle affecit conditionato extinctionem iuris ad odium propter peccatum præteritum; sed sufficit voluntas absoluta infundendi gratiam, per quam gratiæ infusione dicitur formaliter condonare peccatum; quia cum ipsa gratia per suam naturam, & entitatem sic pulchritudo eximiam animæ; & eo ipso reddit animam pulchram, & amabilem, atque adeo tollit odibiliter ex peccato præterito, quia reddit hominem amabilem non obstante peccato præterito, sicut, si homini fœdo daretur doctrina aut alia animi dote adeo eximia, ut non obstante fœditate redderetur amabilis: cum hoc tamen discrimine; quod in eo casu maneret adhuc fœditas, quia hæc est aliquid physicum præfens, licet propter excessum bonitatis superaddita non impediret amabilitatem absolutam subiectam: verò per infusionem gratiæ auferretur fœditas ex peccato præterito; quia hæc non est aliquid physicum præfens, sed titulus moralis ex fœditate præterita, quatenus illa culpa præterita potest etiam nunc mouere ad odium hominis. Cum ergo per aduentum gratiæ fiat, ut iam culpa præterita non possit mouere simpliciter ad odium huius hominis, quia propter excessum pulchritudinis supernaturalis redditur simpliciter amabilis, hinc est, ut per infusionem gratiæ tollatur omnino fœditas, seu macula quæ consistebat in perseverantia morali culpa præteritæ in ordine ad reddendum hominem nunc odibilem, quæ perseverantia moralis tollitur per gratiam. Unde Deus infundendo gratiam dicitur proprie condonare peccatum; quia per infusionem gratiæ gratis destruit ius, & titulum, quem habebat ad odium peccatoris propter peccatum præteritum. Sicut ergo Deus potest velle absolute infundere gratiam, sic potest velle absolute condonare peccata per infusionem gratiæ absque voluntate conditionata.

Quando verò Deus condonaret peccatum secundo modo absque infusione gratiæ, tunc necessaria esset illa voluntas conditionata, quam explicuimus, per quam voluntatem formaliter condonaret peccatum, & illa voluntate posita, intelligeret iam peccatum ablatum, quia ipsamet voluntas esset formalis condonatio, licet posita voluntate infundendi gratiam, nondum intelligatur peccatum formaliter condonatum, sed solum causaliter, quia illa voluntas, ut diximus, non est condonatio, sed voluntas condonandi. Ex his ergo ad difficultatem propositam respondetur potest, per illa verba Sacerdotis, *Ego te absolvo, vel Tibi remitto*, non condonari formaliter peccata sed causaliter, neque illa verba, etiam si per illa Sacerdos significet remissionem, non solum suam, sed Dei, cuius nomine ipse remittit, continere formalem remissionem, aut condonationem, sed solum significare illam, ita ut sensus sit: Ego qui auctoritatem habeo ex divina cõcessione obligandi ipsum Deum, ut ratum habeat, quod ego circa peccata decrevero, volo, quod

P. Ioan. de Lugo de Penitentia.

peccata tibi à Deo condonentur, exequente Deo hæc meam sententiam eo condonationis genere, quod sibi iuxta statuta à se leges magis placebit. Deus autem illam sententiam ratam habet, si clausis non errat, & de facto eam executioni mandat per gratiæ infusionem, qua peccata condonat. Unde verba absolutionis præcedunt quidem formalem remissionem peccati, quia præcedunt infusionem gratiæ, & condonationem Dei, cuius sunt causa moralis, licet pro eo priori intelligatur iam remissio causalis, seu virtualis, quatenus est iam significata voluntas Sacerdotis, quam, si legitime habeatur, sequitur infallibiliter condonatio formalis Dei.

Sed adhuc urgeri potest, quia si homo pro priori naturæ ante infusionem gratiæ nondum sit mundus; videtur, quod neque per infusionem gratiæ mundetur, ita ut eodem instanti non habeat aliquem reatum culpe. Si enim pro illo priori nondum est liber, ergo pro eo priori intelligitur reus, & debitor, non solum in ordine ad pœnam, sed etiam in ordine ad odium Dei, in quo debito, & reatu consistit macula habitualis. Probat sequela: quia pro eo priori Deus intelligitur liber ad dimittendum, & non dimittendum peccatum, ad dandum, vel non dandum gratiam: ergo pro eo priori Deus habet ius aliquod, ut possit retinere debitum odij aduersus peccatorem: ergo pro eo priori homo habet debitum aliquod passivum: non potest enim intelligi in Deo ius aliquod aduersus hominem, quin eo ipso intelligatur in homine debitum correspondens illi iuri: nam omne ius est quasi quoddam dominium ad aliquid: omni autem dominio correspondet suo modo servitus, seu obligatio: cum ergo Deus pro illo priori habeat ius ad retinendum peccatum, homo etiam pro illo priori intelligitur obligatus ad manendum in reatu peccati Deo non dimittente: hæc autem obligatio iam videtur esse aliquis reatus, qui cum sit pro eo priori, non potest destrui adueniente etiã gratia, alioquin esset, & non esset pro eodem instanti reali.

Confirmatur, quia si Deus nolit condonare peccatum, vtiur ad hoc ipsum iure suo proveniente ex peccato præterito; ergo ideo non vult condonare, quia ex peccato habet ius ad hoc: hoc ergo homo propter peccatum est dignus, quod Deus nolit ei condonare peccatum: ergo pro eo priori ante condonationem, & nolitionem condonationis homo intelligitur cum dignitate illa ad hoc, ut Deus nolit ei remittere peccatum: ergo intelligitur dignus, ut Deus velit eum odio habere: ergo dignus odio & per consequens maculatus, & fœdus, quæ fœditas non potest eo instanti auferri gratia adueniente pro signo posteriori, cum intelligatur existere macula eodem instanti pro signo priori.

Ad hoc argumentum Recentiores aliqui dicunt, hominem pro eo priori naturæ non intelligi maculatum, nec dignum retentione odij, nec debitorem, &c. quia pro eo signo priori non intelligitur homo existens: fuit quidem tempore præcedenti debitor, & dignus odio pro tunc, & pro tempore sequenti, ob quam dignitatem Deus nunc potest retinere illud odiū, & velle, quod homo existat dignus odio: in hoc tamen instanti non intelligitur prius homo existens actu, quam intelligatur Deus velle retinere ius ad odium, vel velle remittere peccatum, quare eo ipso quod intelligitur homo existens, intelligitur peccator, vel certe absque omni reatu, & dignitate præfenti ad odium diuinum.

Hæc tamen responsio difficile potest sustineri: quia non potest negari, quod in eo instanti, quo Deus remittit peccatum prævideatur homo prius natura existens, & Deus pro eo priori sit liber ad dimittendum, vel non dimittendum peccatum: Deus enim dimittit

H peccatum

164.

165.

166.
Quomodo in
instanti iusti-
ficationis non
sit aliquod
debitum in
peccatore.

167.

peccatum intuitu contritionis, & pœnitentiæ, vel certe Sacramenti suscepti, quæ omnia præcedunt pro priori naturæ ante remissionem peccati. Vider ergo Deus pro eo priori hominē iam existentem, & operantem, ac exercentem actum contritionis, vel recipientem Sacramentum, licet de facto ex lege à Deo lata infallibiliter remittatur peccatum homini contrito, posset tamen Deus non remittere, & argue adeo libere remittit, sicut libere dimisit Rex ille, qui decebat Matth. 18. *Orate debitum dimisi tibi quoniam rogasti me.* Sicut autem prævidentur ibi preces existentes ante voluntatem liberam remittendi; sic Deus prævidet contritionem existentem pro priori naturæ, antequam velit remittere peccatum, ergo pro eo priori Deus intelligitur cum potestate remittendi, & retinendi suum ius ad odium, & per consequens videtur homo pro eo signo habere adhuc debitum aliquod passivum correspondens illi iuri divini.

168.
Intelligitur
debitum re-
motum non
proximum.

Facilius ergo respondeo, pro eo signo priori, pro quo Deus intelligitur liber ad remittendum, vel non remittendum peccatum, hominem intelligi quidem cum debito aliquo, non proximo, sed remoto ad odium divinum, quatenus ex peccato præterito non antea condonato, potest nunc etiam retineri à Deo ius proximum odium adversus ipsam, per quam retentionem intelligitur iam homo habere debitum proximum odij, & maculam habitua-lem: nam debitum illud remotum non est macula formalis, sed potest esse gratia habitualis in eodem instanti reali, sicut de facto dicunt in sententia comuni Beatam Virginem in primo instanti sue conceptionis habuisse debitum proximum carceri gratiæ, quod est debitum remotum ad odium divinum, licet eodem instanti habuerit gratiam habitua-lem. Non ergo debet per gratiam auferri illud debitum passivum remotum odij, quia per illud homo non fit turpis, scdus, vel odibilis, sed debitor turpitudinis vel odibilitatis incurrendæ, si Deus eam non impediat per gratiam, vel condonationem suam.

169.

Ad confirmationem similiter respondeo, pro illo priori hominem non intelligi dignum retentione iuris ad odium, nec esse necesse, quod Deus retineat ius illud, eo quod homo propter peccatum præteritum dignus sit, quod retineatur: nam quæcumque dignitas formalis ad odium, vel pœnam posset auferri per condonationem Dei, ergo negatio talis condonationis non supponit dignitatem, cum illa ipsa dignitas auferri posset, si Deus condonasset omnem culpam, & pœnam. Potest itaque Deus velle retinere ius ad odium, non quia homo dignus est, ut retineatur: sed quia ipse Deus habet ius ad retinendum, & propter alia motiva per quam retentionem homo fit dignus odio dignitate proxima, cum prius esset dignus remore: quæ tamen dignitas remota non erat dignitas proxima ad retentionem iuris, sed potestas retinendi in Deo, & debitum passivum illius retentionis in homine, ut explicuimus: quod debitum non sufficit ad denominandum hominem dignum, quia dignitas quæcumque auferri potest per condonationem, atque adeo includit, & supponit negationem condonationis, quam tamē non includit, nec supponit illud debitum passivum, cum possit stare simul cum actuali condonatione.

SECTIO X.

De necessitate virtutis pœnitentiæ.
ex præcepto.

170.

Non defuerunt Theologi negantes, obligari peccatorem ex præcepto ad pœnitentiam, quos

tacito nomine refert Medina *Codice de pœnitentia* quest. 2. §. *Est sit necessarium.* Et Andreas Vega lib. 1. in *Concil. cap. 19.* cum quibus sentit Victoria, ut refert Canus *relezione de Pœnitentia par. 4.* ductus præsertim auctoritate sancti Thomæ 1. quest. 14. art. 2. cuius mentem postea examinabimus.

Verissima Theologorum omnium sententia affirmat eiusmodi præceptum, præcindendo pro nunc à præcepto naturali, & positivo, & ab aliis circumstantiis illius præcepti. Ita Sanctus Thomas in *presenti* quest. 84. art. 7. ad 1. & 2. & alij Theologi, quos congerunt & sequuntur Suarez in *presenti* disp. 15. sect. 1. Vasquez q. 86. art. 2. dub. 2. & ceteri recēiores, qui id probant ex illo Ierem. 8. *Nunquid qui cadit, non resurget, & qui auersus est, non reuertetur? Quare ergo auersus est populus iste in Ierusalem auersione contritionis? &c. Nulius est qui agat Pœnitentiam super peccato suo dicens: quid feci?* Adducunt etiam Tertullianum lib. de *pœnitentia.* Hieronymum cap. 7. in *Eclesiasten*, & alios.

Ratio clarissima est, quia omnes fatentur pœnitentiam esse necessariam necessitate mediæ iuxta illud Luc. 13. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.* Ex hac autem necessitate mediæ colligitur clarè necessitas præcepti: quia sicut homo obligatur ad procurandum sibi suum vltimum finem, & consequutionem beatitudinis; sic obligatur ad ponendam mediā necessariā, sine quibus beatitudinem consequi non potest: qui enim non vult medium necessariū, & vnicū, non vult efficaciter finem ergo salutem ex eo capite, & obligatione procurandi salutis propriam oritur obligatio pœnitentiæ. An verò ex aliis etiam capitibus oriatur videbimus postea.

Contra hanc veritatem obicitur primo, ut diximus, auctoritas S. Thomæ 1. 1. *dicta* quest. 14. art. 2. & in 2. *sec. dist. 18. art. 3. ad 3.* qui dicit impœnitentiam, propter est solum permanentiam in peccato vsque ad mortem, non esse speciale peccatum, sed circumstantiam quamdam peccati; impœnitentiam verò, propter est propositum non pœnitendi, esse speciale peccatum; unde videtur sequi, quod in sententia sancti Thomæ non sit speciale præceptum pœnitentiæ: diuersum à præceptis non futurandis, non adulterandis, alioquin ipsum non pœnitere esset speciale peccatum contra illud speciale præceptum.

Respondent aliqui, sanctum Thomam ibi distinguere peccatum impœnitentiæ à mera permanentia in peccato, cuius nomine intelligit permanentiam absque aduertentia ad obligationem pœnitendi, ut quando quis subito moritur; quo casu non datur speciale peccatum impœnitentiæ: secus quando aduertit homo instare mortem, & vegere præceptum pœnitendi. Ita P. Coninch in *presenti* disp. 3. dub. 1. num. 3. Sed reicitur facile, quia illa permanentia materialis in peccato non solum non est peccatum speciale impœnitentiæ, sed nec potest esse circumstantia peccati præteriti, cum ratione inaduertentiæ non sit voluntaria, aut culpabilis: non potest ergo S. Thomas illam solum intelligere, quando dicit, esse non esse speciale peccatum, sed circumstantiam peccati præteriti.

Ideo P. Suarez post alias vias tentatas *sect. 2. n. 11.* concludit S. Thomam condistinguere speciale peccatum impœnitentiæ ab illa generali in hoc, quod illa fiat ex voluntate, & proposito directo non pœnitendi, hæc verò ex voluntate indirecta. Unde concludit, non semper distinguere specie materiali vnam ab alia, quia voluntarium directum & indirectum non variant specie malitiam, si in obiecto & ratione malitiæ sit sufficiens conuenientia. Ceterum propter illum diuersum modum intendendi in obiectum,